

post Christum ejus filium. Et quemadmodum Christus Dominus seipsum illis verbis commendat ab effectu, quod scilicet ipse sit causa rerum, ac praefertim lucis, ut supra effecimus; non longè aliâ ratione Deipara inducitur à Siracide, sibi ipsi lucis, ac mundi totius creationem attribuens. Quo id pacto sit intelligendum, satis superque exposuimus à num. 842. ad illa verba: *Primogenita ante omnem creaturam.* Ubi statuimus, Mariam creaturis omnibus antelatum in decretis divinis, quia illorum omnium principium, & reffauratio, exemplar, & finis. Unde S. Bonnav. in Psalterio Virginis: *Dispositione tua, Virgo, perseverat mundus, quem & tu cum Deo ab initio fundasti.* Cum autem indeficientis luminis voce, & gratiae & gloriae lumina symbolicè designari putaverimus, nec non alium Eucharistiae Sacramentum: restat disquirere qua ratione horum luminum conditio sit Virgini Matri deferenda. Quod breviter praestabimus.

SECTIO XXXIV.

*Omnia & singula gratia, & gloriae lumina à Maria, & per Mariam Justis erogantur.*

**H**oc planè mihi suadent praefacta Ecclesiastici nostri verba: quibus se Deipara testatur in causa fuisse, ut oriretur in caelis lumen indeficiens, lumen scilicet gratiae, & gloriae in animis Justorum. Ut verò hæc illustremus ex sacris litteris, & Patribus, certa ab incertis, vera à falsis distinguere, operæ pretium erit. Unde cum nostro Suario Tom. 2. in 3. p. disput. 33. praemitto in primis, B. Virginem non fuisse, neque esse per modum causæ efficientis propriam ac principale causam nostræ salutis, nostræ justificationis, gratiae, & gloriae. Quod certum de fide probat esse, plus verò quam temerarium asserere, Deiparam esse quacumque ratione causam efficientem, etiam instrumentalem. Deinde, licet Virgo Mater nec nos redemerit, neque aliquid de condigno nobis promeruerit, tamen impetrando, merendo de congruo, & ad Incarnationem Christi suo modo cooperando, ad nostram salutem cooperata est, & per ejus impetrationem, & preces omnia gratiae & gloriae bona hominibus à Deo impertuntur. Quod sapienter ille, & eruditè admodum probat, ut asfolet, uti etiam suadet, & illustrat noster Salazarius in cap. 8. Proverb. vers. 18. & in cap. 31. vers. 29. & in opere de Conceptione Virginis cap. 21. Ego verò hos magnos Deiparæ Panegyristas intactos tibi relinquens, aliter non contentiosè, sed amcenè, rem totam probare & elucidare nitior, retentâ luminis metaphorâ.

*Per Mariam omnia gratia luminis in nos.*  
Cantic. 6. 9.

Apoc. 12. 1.

*capite ejus corona stellarum duodecim.* Apoc. 12. 1. Tota luminosa prospicit, & prospicitur; nec illuminata solum, sed illuminatrix tota; quasi vehiculum luminis facta, ut caelestis luminis copiâ animos densis circumfusus tenebris perfundat, & irradiet. Quasi nulla sint gratiae & gloriae lumina, quæ à Virgine Matre non profluant, uti ab aurora, sole, lunâ, & stellis, terram & caelestes ipsos orbes illuminantibus. Etenim supra à num. 173. ex illis Canticorum, & Apocalypseos verbis Mariam effecimus totam vel à puncto suæ conceptionis illuminatam; modò eam totam illuminantem, ex iisdem testimoniis efficere contendimus, ut jure merito ipsa de se prædicaverit: *Ego feci in caelis ut oriretur lumen indeficiens.*

1013 In primis, sicut aurora lumen suum in omnem mundi plagam circumfert, fugatis tenebris; sic Deiparâ impetrante, prima sanctificantis gratiae lux hominibus affulget, qui priùs cæcis, fallacibusque vestigiis deerrabant in tenebris. Ut enim Bernardus Serm. de Nativitate. Mariæ; *Hæc est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Quam Marianæ auroræ prærogativam egregiè admodum commendat S. Petrus Damian. in Serm. de Assumptione his verbis: *In meridiano lumine primus ille Parens creatus est, factus ad imaginem conditoris; sed ille tanti privilegii dignitate rejecta, apostata spiritui falsa promissione delinitus inhaesit, & se cum posteritate sua aeterna morti destinavit, & tenebris. Ab illa hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad Virginem; nec invenit aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente, concrevit & tenebrosa vorago; donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepe-*

*Prima sanctificationis gratia per Mariam, quasi per auroram.*  
S. Bernard.

S. Damian.

*Nata Deipara, dies gratiae illustris sedentibus in umbra mortis.*

Prov. 8. 17.

Richardus à S. Laurent.

*Baptismatis illuminans gratia per Mariam.*

*liviit.* Preme illud, usque ad Virginem non est inventus, qui tenebras dissiparet. Quasi dicat; Illa non suas tantum vitavit tenebras, sed aliorum quoque communem caliginem depulit: utique in auroræ morem, ut deinde subiret. *Sed nata Virgine, surrexit aurora, quia Maria veri prævia luminis natiuitate suâ mane clarissimum serenavit.* Itaque illucelcente hac aurora longè amandantur peccatorum tenebrae, & matutinum primæ gratiae lumen in hominibus splendescit. Hinc merito sanè de se ait B. Virgo Proverb. 8. 17. *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* LXX. apud Complutenses habent: *invenient gratiam.* Observa temporis circumstantiam, manè. Id est, qui post somnum, & tenebras diluculo ad me advolant, me, tanquam prospicientem auroram, invenient, quæ primæ gratiae lumen illis effundam. Sapienter proinde Richardus à S. Laurentio lib. 7. de Laud. Virginis: *Sicut impossibile est de tenebris noctis venire ad lucem, nisi mediante aurora; sic impossibile est de tenebris virtutum venire ad lucem gratia, & virtutum, nisi intercessione Mariæ.* Sic igitur jure optimo Virginem salutare expedit cum Chryssippo Presbyt. Chryssip. Jerosolymit. in Serm. de S. Maria. *Ave fons lucis omnem hominem illuminantis. Ave Solis ortus (id est, aurora) qui nullum ferre potes occasum. Ave radix omnium bonorum.*

1014 Deinde pulchra ut luna prædicatur Deipara; Hebraicè, clara, gloriosa ut luna: certè ut hoc symbolo designetur, illum terrigenis in nocte hujus sæculi versantibus clara gloriae suæ luce præfulgere, & universam col-

*Luna efficaciam supra mare.*

*Mare est Baptismus.*

Apoc. 4. 6.

*Illuminatio appellatur.*  
Hebra. 6. 4.

*Baptismatis regeneratio per lunam regenerationem designat.*

S. Cyrill.

*Maria illuminatrix maris stella, id est, luna.*

*Nomen Mariae renascens salutare.*

collustrare tellurem. Et quidem, ut à sacri Baptismatis illuminatione ad reliquum Christiani cursus tempus desumas argumentum, observa eam, inter alias, valde admirandam lunæ proprietatem; singularem nempe ejus efficaciam in aestuum maris accessu, & recessu, quem profectò effectum esse lunæ, senior Philosophorum sententia fert, Ptolomæi, Tullii, Plinii, Strabonis, quibus suffragati sunt S. Basiliius Hom. 6. Hexaemeron, & S. Ambrosius lib. 6. in Hexaemeron. cap. 7. & S. Thomæ opusculo 34. & plerique alii, quos referunt & sequuntur nostri Conimbricenses Tract. 8. in lib. Meteor. Aristot. cap. 6. Adde, noctu lucente lunâ, humida crescere, ut rorem, imbres, aquas: *Aque magnæ plus fluunt de nocte,* ait Aristot. lib. 3. Meteororum.

1015 Etenim quis ignorat, mare appellari fani Baptismatis fontem; quòd in eo universa iniquitas suffocatur? In mari rubro præsignatum, multi putant, & testatur Paulus 1. ad Corint. 10. 2. Ut etiam in mari vitreo, tanquam crystallo, à Joanne viso Apoc. 4. 6. Ubi Richardus Victorinus rectè observat vocari vitreum, quia lumen & claritas divinæ cognitionis & gratiae ibi confertur. Unde Graeci Patres apud Viegam ibi, Baptismum appellant *φωτισμοσ*, id est, illuminationem: de qua Paulus ad Hebræos 6. 4. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati: hoc est, baptizati.* Hinc deduxeris, quo jure dicatur Deipara clara, pulchra, gloriosa, ut luna. Ab ea enim vitrei maris, id est, sacri Baptismatis, motus, accessus, & recessus, fluxus, & refluxus, atque incrementa omnia causantur, & illuminatio eorum, qui baptizantur, promanat, regeneranturque fideles omnes in adoptionem filiorum Dei. Quò spectat S. Anastasius Sinaita lib. 4. in Hexaemeron, ubi ita præclare: *Luna nomen significat gratiam, nempe baptismatis regenerationem.* *Σελήνη enim, id est, luna, interpretatur cæci virtus, id est, fulgor infantium, & omnium, quæ generantur, utpote quòd ab utero alia sit piscina: cæcis enim est lux. Aut rursus luna fulgor est puerascens, propterea quòd perpetuò generetur, & regeneretur. Quæ quidem est perpetua regeneratio lucis Baptismatis.* Hæc in Virgine Matrem bellissimè & verissimè cadunt, quæ est pulchra, clara, & gloriosa Ecclesiæ luna, habens in sacrum Baptismatis mare plenam dominationem, à qua copiosa Baptismatis lux, & gratiae illuminatio, fideliumque regeneratio. Rectè ergo S. Cyrillus in Homil. Ephes. ad Nestorium habita, sic Virginem salutavit: *Salve Virgo, per quam prolapsam plasma in calum denuò subvehitur: per quam sanctum Baptisma obrigit credentibus.*

1016 Obvia est Patrum declaratio, qua Mariam illuminatricem nostram interpretantur. Convenienter vocatur Maria illuminatrix in alios, ajebat S. Thomas in Opusc. 8. Et Chryssippus supra fontem lucis Mariam vocat omnem hominem illuminantis. Cui affonat aliud Mariani nominis etymon frequens apud Patres, nempe stella maris, id est, lunæ, nullo enim astrum (ut eruditi observant) sibi nomen à mari vindicat, præter lunam, cui ex auctoribus supra relatis dominatio in mare defertur. Magna certè est Mariæ potestas, & imperium in Baptismatis mare, in quo, interveniente Deiparâ, à peccatis abluimur, renascimur invisibiliter, illuminamur, & di-

vinæ gratiae lumine perfundimur. Audi unum Chrysologum in Serm. 146. argutè sic loquentem: *Maria Mater vocatur: & quando non Maria Mater? Congregationes, inquit, aquarum appellavit Maria. Nomen hæc exeuntem populum de Ægypto concepit uno utero, ut emergeret caelestis in novam creaturam renata progenies? Juxta illud Apostoli: Patres nostri omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in mari. Maria humanae prævia salutis: nomen hoc renascentibus salutare.*

1017 Si verò per mare adumbrari Gentilitatem arbitreris, ipsosque Gentilissimi populos juxta illud Apoc. 17. 15. *Aque multæ populi sunt, & gentes & linguæ;* & Isaia 17. 12. *Væ multitudini populorum, ut multitudo maris sonantis &c.* per admirandam illam lunæ in mare potestatem & dominationem rectè designabitur Dei genitricis potestas in Gentilissimi conversionem, & Christianæ Ecclesiæ dilatationem, quam suo motu, & luce efficit Deipara, velut altera luna maris stella. Unde merito sic eam salutabat S. Cyrill. Tom. 6. Concilii Ephesini cap. 6. *Salve Virgo, per quam universa creatura idolorum vesania detenta ad veritatis cognitionem perducta est; per quam toto terrarum orbe fundata sunt Ecclesiæ.* Cæterum quia hanc potestatem, & imperium in omnes gentes Deipara habet à Christi cruce, & crucifixo Jesu, operæ pretium est observare cum nostro Alcazare Notatione 4. in cap. 12. Apocalypsis, lunam interventu sui motus, & lucis, aliarumque virium, & occultarum effluventiarum, immensum Oceanum ita in quatuor dissecare partes, ut tantæ aquarum moli ingentem Crucem imprimat, dum per accessum effluendo in longum sese veluti Crucis stipitem mare protendit, simulque ad latera refluendo breviora stipite extendit veluti brachia. Quam eandem Crucem eodemmet tempore objectus Antipodis Oceanus à luna excipit. Unde à lunæ effluventia binæ veluti Cruces in Oceani aquis imprimuntur sub singulis polis singulæ. Ex qua observatione id colligas, quidquid potestatis, & dominationis Deipara habet in Gentium conversionem, & illuminationem, id totum à Christi Cruce promanare, per quam lucidissima ipsa reddita est & illuminata ut omnem illuminet hominem; & sic per Mariam mirificè in Gentilismo resplendet & operetur Dominicæ Crucis gloria, ac gloriosè in orbem circumferatur. Hoc enim illud est, quod Sanctus Epiphanius ajebat in Serm. de Laud. Virginis. *Per te Crux resplenduit per Universam terram: per te mors conculcatur, & spoliatur infernus: per te ceciderunt idola, & excitata est notitia caelestis.*

1018 Hinc illa Diaboli, & Hæreticorum contentio, ne hæc luna prospiciatur ab hominibus, neque ipsa homines prospiciat, & luna Maria sua luce perfundat; ut sic nocumento esse possint, & ruinæ in obscura nocte absque lunari luce versantibus. Psal. 10. vers. 3. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Græcè in obscurilunio, quando luna obscura est: vel etiam, ut sagittent illumines, id est, sine luna versantes. Sanctus Augustinus, in obscura luna. Qui verò lunari Mariæ lumine illustrantur, securi incedunt, & eò securius, quò plus erga Deiparam cultus, & affectus in illis augetur. In stirvio Gallie ait Sanctus

*Per mare Gentilias designata.*  
Apoc. 17. 15.

Isai. 17. 12.

*Gentilissimi conversio per Mariam.*  
S. Cyrill.

P. Alcazar.

*A luna effluventia binæ Cruces in Oceani aquis.*

*A Christi Cruce Gentium conversionem, atque per Mariam.*

S. Epiphanius.

*Contendit Diabolus, ne luna Maria ab hominibus prospiciatur.*  
Psal. 10. 3.